



Universitätsbibliothek Paderborn

**TRACTATVS|| DE CON-||FESSIONIBVS MA=||LEFICORVM ET
SAGA-||RVM SECVNDÒ RECOGNI||tus, & auctior redditus.||
An, & quanta fides ijs adhibenda sit?||**

Binsfeld, Peter

Avgvstae Trevirorvm

VD16 B 5530

Octaua Conclusio. Qando ex sententia & decreto Iudicis reus torquendus est, & tortura veritas eruenda, id faciendum in præsentia iudicis, & ad minus duorum scabinorum, nec non scribæ iudicij, aut ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-41113

Septima Conclusio. *In hoc criminis maleficij nemo aut ratione dignitatis, aut pretextu priuilegij excipitur a tormentis.*

HAEC Conclusio clara est ex L. presenti, & communis sententia. Dictum, ratione dignitatis & priuilegij: quia ob corporis infirmitatem, & partus periculū, nec in hoc criminis nec in alijs exceptis quispiam torquendus est, vt post alias Gomez. in d. cap. 13. num. 3. ostendit. Mulier autem prægnans, propter periculum partus nec terreri debet, vt recte obseruauit Franciscus Pegna in 3. part. directorij, comment. 39. in lit. D. Quoniam etiam ex terrore & comminatione possit sequi aborsus. Expendendum ergo est cum prægnante donec perpererit, & integrum valetudinem post partum recuperauerit.

Octaua Conclusio. *Quando ex sententia & decreto Iudicis reus torquendus est, & tortura veritas eruenda, id faciendum in praesentia iudicis, & ad minus duorum scabinorum, nec non scribae iudicij, aut notarij.*

HANC Conclusionem satis comprobat Constitutio Carolina in art. 47. & usus omnium

omnium iudiciorum recte constitutorum. Cùm enim tortura res sit magni momenti, & possit esse maximi præiudicij, Iudex non debet carere hominibus fide dignis, quia testimoniū perhibeant veritati in casu necessitatis, de rebus gestis. Quare aliquando valde suspecta est aliorum tortura: Vbi quidam Iudices sunt valde imperiti, qui soli, adiuncto aliquo scriba, ut audio, pro sua imperitia, aut voluntate, tantum homines torquent, vt non mirum sit, si sàpè fateantur, quæ nunquam cogitauerunt.

Nona Conclusio. *Quando plures torquendi, ab eo incipiendum, à quo verisimile est, veritatem facilius eruendam fore.*

BARTOL. in L. I. ff. de quæst. Gandin. in tractat. malefic. in Rubr. de quæst. & tormento. Marsil. in tract. crimin. §. Expedita. num. 49. Angel. ab Aretio in tract. malefic. in Glossa in verb. Fama publica præcedente. Damhauder. in rerum crimin. praxi, cap. 37. num. 14. & alij alibi. Vnde hanc Gandinus ponit regulam. Quando de pluribus habenda est tortura, sagax Iudex debet considerare, à quo facilius veritas erui potest, & ab illo debet quæstionem incipere tanquam à timidiore & magis suspecto, & debet incipere à viliori, & non à fortiori.

Xx 2 rivel